

Turnum ad arma concitavisse; eumque mox coacto Rutulorum exercitu tetendisse in agrum Laurentem et adversus eum Latinum pariter cum Aenea progressum inter proeliantes circumventum occisumque. Nec ta- 6
 5 men amisso socero Aeneas Rutulis obsistere desiit, namque et Turnum interemit. Hostibus fuis fugatis- 7 □
 que victor Lavinium se cum suis recepit consensuque omnium Latinorum rex declaratus est, ut scribit Lutatius libro tertio. Piso quidem Turnum matrualem 8
 10 Amatae fuisse tradit interfectoque Latino mortem ipsam sibimet conscivisse.

Igitur Aeneam occiso Turno rerum potitum; cum 14
 adhuc irarum memor Rutulos bello persequi instituisset, illos sibi ex Etruria auxilium Mezentii regis Agil-
 15 laeorum ascivisse ac imploravisse pollicitos, si victoria parta foret, omnia, quae Latinorum essent, Mezentio cessura. Tum Aeneam, quod copiis inferior erat, mul- 2
 tis rebus, quae necessario tuendae erant, in urbem comportatis castra sub Lavinio collocasse praeposito-
 20 que his filio Euryleone ipsum electo ad dimicandum tempore copias in aciem produxisse circa Numici fluminis stagnum; ubi cum acerrime dimicaretur, subitis turbinibus infuscato aere repente caelo tantum imbrium effusum tonitribus etiam consecutis flammarum-
 25 que fulgoribus, ut omnium non oculi modo praestringerentur, verum etiam mentes quoque confusae essent; cumque universis utriusque partis dirimendi proelia □
 cupiditas inesset, nihilo minus in illa tempestatis subitae confusione interceptum Aeneam nusquam deinde
 30 comparuisse. Traditur autem, non proviso, quod propinquus flumini esset, ripa depulsus forte in fluvium decidisse, atque ita proelium diremptum; dein post apertis fugatisque nubibus cum serena facies effulsis-